

DIVI AMBROSII

G nesciebat, sed probauit quod placebat. Non quasi incogitum placuit opus, quia nec quasi incognitus pater qui complacuit in filio, sicut scriptum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Scit autem semper filius voluntatem patris, & pater filii, & audit patrem filius semper, & pater filium per unitatem nature voluntatis atque substantiæ. Denique testatur hoc in Euangelio suo filius dicens ad patrem: Sciebam quia semper me audis. Imago est enim inuisibilis dei filius: omnia patris quasi imago exprimit, oia eius quasi splendor gloriæ illuminat nobis atque manifestat. Videt & filius patris opus, sicut & pater filii, sicut & ipse dominus declarauit: Non potest filius facere a se quicquam, nisi quod uiderit facientem patrem. Vidit ergo facientem patrem, & uidit per secretum inuisibilis nature. Et audit similiter. Denique ait: Sicut audio, iudico: & iudicium meum uerum est, quia non sum solus, sed ego, & qui misit me pater. Hoc mysticum est, illud morale. Vidit mihi, probauit mihi: Quod deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam quod deus mundauit, tu commune ne dixeris, scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum dei nemo blasphemet. Si firmam eum bonum, quanto magis bonus eius creator, etiam si Ariani nos sint, Eunomiani reclamant, radicis degeneris fructus deterior? Vidit, inquit, deus quia bonum. Solent artifices singula prius facere, & postea habili commisso: ne conuenire: & qui uultus hominum vel corpora excidunt de marmore, vel ære fingunt, vel cæris exprimunt, non tamen sciunt quem ad modum sibi possint membra singula conuenire, & quid gratiæ adferat futura conuenio: & ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant: Deus uero tanquam æstimator ueritatis præuidens quæ futura sunt, quasi perfecta iam laudat quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præueniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in sua prædestinatione est uoluntatis, laudat singula quasi si conuenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum uenustate compositam. Illa est enim uera pulchritudo, & in singulis membris esse quod deceat, & in toto, ut in singulis gratia, in omnibus formæ conuenientis plenitudo laudetur. Sed iam etiam seculis nobis clauditor dies, ne dum opus astruimus firmam eum, infirmiores eos qui audiunt, dicendi prolixitate faciamus, dum in noctem sermo producit, quæ adhuc caris lumine stellarumque lumine, (nōdum enim luminaria creata sunt cæli) obscuritatem possit asferre remeantibus: simul ut cibo potuque curentur corpora, ne animis expulantibus fragilitas carnis de nocturno quoque icunio queratur.

CAPITA TERTII LIBRI
HEXAEMERON.

De introductione tertii diei, cum increpatione hominum quod imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt, exhortatione quoque uel populus in unam ecclesiam domini congregetur. Ca. I.
De inuisibilitate & apparitione terræ per scripturæ probationem. Et quomodo aquæ congregatæ fuerint in unam collectionem, cum destructione opinionum contradicentium. Caput II.
Quomodo aquarum per omnem fere terram diffusarum una dicatur collectio, cum & hodie diuersa sint maria. Quomodo etiam congregatio una potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras, quæ ante fuso per uniuersum flumine stagnabantur. Caput III.
Quid sit quod ait dominus, Et appareat arida: & non dixerit, Et appareat terra. Caput IIII.

De eo quod a quibusdam additum perhibetur: Et congregata est aqua in collectiones suas. &c. De probatione quoque, & singulari ac mira laude maris. Caput V.
Quomodo conuenierit ut terræ daretur species & gratia germinandi, & uiriditas agri: ac de uirtute & utilitate huius uocis qua deus dixit: Germinet terra herbam uiridem fœni &c. cum redargutione eorum qui hæc prærogatiuam ipsi soli adscribit. Ca. VI.
Cur prius pecori pabulum, quod cibum homini sit creatus: simplexque uictus & naturalis cibus reliquis cibis antelatus sit. De commendatione quoque ipsius, ac de mysterio herbæ uirentis, & floris fœni: cum exhortatione nostri ad imitationem illius herbæ, & confutatione Manichæi, aliorumque hæreticorum. Caput VII.
De germine, ac seminaria uirtute, & admirabili generationis & fructificationis modo, terræque utilitate. De laude quoque agri pleni, & salubritate succi herbarum, uirgultorumque ac foliorum remediis. Ca. VIII.
De refusione causationis quod cum uilibus etiam letalia & perniciosa generentur. Caput IX.
Quomodo terra seculum genus suum dicatur proferre femina, cum plerumque femina iacta degeneret. Ac de diuersitate feminis diaboli & feminis Christi filii hominis, & quando iste homo uerbum suum seminauerit super terram. Caput X. L
De ortu arborum atque rosarum, & quomodo rosa humanæ uitæ speculum præferat. Caput XI.
De singulari uitis commendatione, & quomodo exemplum eius ad nostræ uitæ institutionem accessendum sit. Caput XII.
De arborum uarietate, ac diuersis earum utilitatibus & ornatibus: fructuumque suorum atque succorum proprietatibus & medelis. Caput XIII.
De simplicium pomorum differentia, foliorumque diuersitate. Caput XIII.
Quod inexplicabile sit singularum rerum exquirere proprietates: & de uaria mutatione ipsius aquæ quæ omnium uirgultorum nutrix est. De discrepantia quoque lachrymarum arborum, quæ eiusdem aquæ allusione generantur: ac tandem de diffusioris per scrutationis excusatione. Caput XV.
Quemadmodum ad uerbum domini, quod omni aquarum cursu est redundanti, subito omnis uirgultorum creatura efflorescit, & uictum atque medelam ministrauerit. Quomodo præterea uniuersa gignentia aut femina habeant, aut aliqua quæ cum uirtute feminum uideantur conuenire. Ac de magna dei uirtute in singulis. Caput XVI.
De reprehensione surditatis humani cordis. Et de incomprehensibili admirandaque dei etiam in paruis prouidentia. De primo quoque cultore uitium, & commendatione uini. Caput XVII.

FINIS.

DIVI AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
HEXAEMERON LIBER TERTIUS, DE
DIE TERTIO.

De introductione tertii diei, cum increpatione hominum quod imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt: exhortatione quoque uel populus in unam ecclesiam domini congregetur. Caput I.